



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

De S. Barnaba.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

Christus, sic Norbertus, sic omnes sancti affecti erant, & ita affici debent, qui in idem vocatio- nis genus electi sunt.

PUNCTUM IV.

Eti- am
post
mortem
consulit
proxi-
mo, fun-
data Re-
ligione.

Considera, ut, quod per se incæperat opus, per alios perpetuò prosequeretur, novum à S. Norberto institutum esse religiosum Or- dinem. Verus in Deum amor nullum sibi modum ponit, nullis temporum aut locorum præfinitur limitibus. Hanc ei mentem impe- travit Deipara virgo. Nimirum qui magni aliquid in Dei gloriam moliuntur, hanc ducem & auspicem sequi debent. Per ipsam enim maximè hominum salus promovetur. Gratias age Deo pro tot utilitatibus, quas ex hac sacra Religione percepit Ecclesia. Precare, ut Spi- ritus, quo fundata est, semper in ea vigeat; & quocunque demum in statu sis, æmulare ar- dentem ac perpetuum S. Norberti cum in propria, tum in aliena salute procuranda ze- lum.

11. Jua.

DE S. BARNABA.

PUNCTUM PRIMUM.

Vita e-
jus pri-
vata.

Sancti Barnabæ adolescentia, juventúsque stransacta est in studijs, & virtutum quæ il- lam decent ætatem, cultu singulari, imprimis modestia, pietate in Deum, charitate in paupe- res,

res, virginitate quam integram ad mortem usque servavit. Unde & meruit è miraculis Christum agnoscere, ab eoque in numerum 72. discipulorum adscribi. O quam beati qui has prima ætate virtutes colunt! quam beati, qui illam animi corporisque puritatem Christo integram servant! quam beati qui sic à Christo assumuntur, & in discipulorum numerum adscribuntur! Hanc tibi & alijs gratiam pete, vel de obtenta gratias age.

PUNCTUM II.

Vitam publicam seu Apostolicam inchoavit Vita publica, seu Apostolica. ab dicatione bonorum omnium temporalium, quæ partim distribuit pauperibus, partim ad pedes Apostolorum detulit. Ut in studiis, sic in laboribus plurimis D. Pauli socius fuit. Cum eo per unum annum versatus est Antiochiæ, ibique primum discipuli se Christianos dixerunt. Hinc Jerusalem reversi sunt, tum profecti in Cyprum insulam, in Pamphiliam, & Antiochiam. Inde iterum reversi Jerusalem ad distribuendas eleemosynas & tractanda fidei negotia; magna ubique laborum tolerantia, magna populorum præsertim Gentilium conversione. Denique discessit à S. Paulo, assumptoque secum Marco Evangelista, varias urbes lustravit, Mediolanensem Ecclesiam fundavit, ac demum in Cyprum reversus Salaminæ præsertim fidem Christianam magnopere promovit. Hic discite bona temporalia æternis

commutare ; societatem cum viris sanctis jun-
gere ; Christo & animarum saluti totam vi-
tam strenuè impendere : à quibus quantum
abes ?

PUNCTUM III.

Vita pa-
tiens
seu mar-
tyrium.

Comoti in Barnabam Judæi è Syria in
Cyprum venere, ut ipsum occiderent. Id
ille revelatione didicit, neque tamen mortem
fugit, sed in Judæorum Synagogam ingressus
validis rationibus probavit Christum verum es-
se Messiam. Quòd illi non ferentes, atque ira
accensi lapidibus ipsum obruerunt, cadavérque
projecerunt in ignem : sed illæsum servatum
est, sepultúmque à Marco & alijs Christianis
in spelunca extra urbem, ubi postea à Zenone
imperatore insigne templum extructum est.
Sic nempe Deus Sanctos suos honorat post
mortem, quos in vita varijs laboribus persecu-
tionibúsque exercuit. Hic enim est finis, hæc
corona vitæ Apostolicæ, graviores dolores, per-
secutiones, martyrium. Ad hæc te compara,
quisquis Christo militas. Ut Christum sic &
Sanctos oportet pati, & ita intrare in gloriam
suam. Neque ut facis, dolores laborésque fu-
ge, maximè si Christi gloriam, si tuam
aut proximi salutem pro-
movent.

* *
*

DE